Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 575
Quelle:
Copyright:

ſuis inſeri potuiſſe, neque neceſſario tardius acceſſiſſe probat annus ejus emortualis, quem cum *Eberhardo* communem habuit.

X. *fol.* 177. p. 2. *Incipit tractatus de ſacrilegiis. et immunitatibus eorum. et compoſitionibus.* Initium: *Regum et Imperatorum ſeu etiam diuerſorum pontificum dicta de immunitate et ſacrilegio. et ſingulorum clericalium graduum compoſitione. de induciis etiam antequam excommunicentur laicis dandis. iuxta quod in libris diuerſorum inuenitur. hic breuiter annotatur.* Capitularibus Regum *Francorum*, et Canonibus per *Reginonem*, *Burchardum* et *Ivonem* ſparſis utitur Compilator noſter mihi ignotus, textu non admodum caſtigato, ſubinde tamen lectione varia non improbanda. In Capitulari *Triburienſi* ad petitionem Epiſcoporum a. 821. in *Theodonis Villa* (*Diedenhofen*, *Thionville*) congregatorum dato legitur: de Epiſcopo in *Waſconia inhoneſte et inaudite morti tradito*, ubi *Burchardus* L. VI. c. 5. *Ivo* P. X. c. 134. et *Harzheimius Concill. Germ.* T. II. p. 23. habent *mordridato* a Germ. *Mord*, *mördern*, quod quidem non inuſitatum, ut vides apud *Du Cange* in v. *Morth.*

XI. *fol.* 181. ſub Rubrica: *De Introitu*, ſequitur alia Compilatio de Ritibus Sacrificii Miſſae, et primo quidem Catecheſis: *Introitus miſſę quare dicitur? Eo quia per eum introitur ad officium. Uerſus quare cantatur? Eo quia per eum reuertitur ad introitum.* &c. Dein *Auguſtini* locus duplex de offerendo Sacrificio pro Mortuis et de Conſecratione, demum alia Capita de Miſſae Officio e verbis *Alcuini* et *Amalarii* potiſſimum congeſta.

XII. *a fol.* 184. p. 2. perrexit ſedulus Coenobita varia congerere e lectione diverſorum, quae ad unum genus reduci nequeunt, auſpicatus a quadam *Symboli* apoſtolici Expoſitione, tum *de Arbitrio libero*, *de tribus Vocationibus*, *pro quadruplici Oratione*, &c. item quaedam fabuloſa e naturali Hiſtoria, quaedam Excerpta ex Operibus *Hieronymi*, *Bedae*, *Leonis*, *Auguſtini*, *Joh. Chryſoſtomi*, *Gelaſii* Decretum *de recipiendis et non recipiendis in Eccleſia Libris*, ut extat *Burchardi* L. III. c. 220. 21. Praeterire non poſſum *Bedam*, cujus Rubrica eſt: *De ſeptem columbe uirtutibus*, et hae quidem his Verſiculis concluduntur:

Iſtis incumbe, ſic uiues more columbę:
Primum felle care mentis deſertor amare.
Nil roſtro laceres, nullum ſermone ſagittes.
Semina pulchra lege ſeiungens noxia quęque.
Tu geme, ne cantes. Pro riſu prode dolores.
Ut videas clarum, ſit ſeſſio litus aquarum.
Cum nidum ſternis, petrarum pone cauernis.
Poſt fructus ſenos nutri pullos alienos.

Sin-